

**CAL.** *Perianthium* pentaphyllum, compressum (ob bracteas crassas comprimentes), foliolis ovato-acutis, erectis, apice h. t. sub florescentia membranula minutissima, recta, laxiuscula, terminali.

**COR.** nulla.

**STAM.** *Filamenta* quinque, calycis altitudine, setacea.

*Anthera* oblongiusculæ.

**PIST.** *Germen* a latere bractearum vel glomerulorum, compressum, subrotundum, versus apicem latere anteriore gibbere notatum. *Stylus* setaceus, bifidus. *Stigmata* acuta.

**PER.**

**SEM.**

*Color* plantæ cinerascens, succulentus. Flores albescenti-flavidi.

Cum hæc sativa sit crederem esse *sativam Casalpini* licet forte. Cl. Sauvages meth. 7. 90 intelligat Kali majus semine cochleato C. Bauh. quod Guettard obs. 2. p. 426. 63. vocat Salsolam foliis inerimibus. Hispanis Barilla audit.

## GENTIANA.

### 20. GENTIANA *perfoliata*.

*Habitat* in Portugallia ad Porto, ubi paucissimas legi plantas in latere collis cujusdam arenosi, ruderati.

*Radix* parva, fibrosa, simplex, annua.

*Caulis* erectus (semipedalis), herbaceus, teres, glaberrimus ramis paucis, oppositis, erectis.

*Folia* opposita, connato-perfoliata, utrinque ovata, integerrima, acuta, glabra, glauca ut & caulis.

*Flores* pauci, dichotomi, terminales. Corolla lutea.

**CAL.** *Perianthium* 8 vel 9-phyllum; foliolis linearibus, acutis, concavis, longis, leviter sub florescentia patentibus, persistentibus.

**COR.** monopetala, infundibuliformis: *tubo* cylindrico-ovato, Germiini arte adnato, idque totum, excepto summo apice, obtegente: *Limbo* tubo longiore, fere ad basin octo-vel novemfido, concavo, patulo: laciniis oblongis, inferius & superius angustatis; marcescens.